MASTER
NEGATIVE
NO. 93-81657-7

AUTHOR:

GLASER, J. D.
(JOHANN CARL)

TITLE:

DE PRINCIPIO
PHILOSOPHIAE ...

PLACE:

HALIS

DATE:

1844

Master Negative #

93-81657-7

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Glaser, Johann Karl, 1814-1894.
De principio philosophiae Kantianae dissertatio, quam... publice defendet Joannes Carolus Glaser... Halis, formis Gebaueriis, 1844.
22 p. 20 cm.

Thesis, Halle, 1844.

127845

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 REDUCTION RATIO: 9x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8.13.93 INITIALS SS
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

DE PRINCIPIO

PHILOSOPHIAE KANTIANAE

DISSERTATIO.

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE IMPETRANDOS
UNA CUM THESIBUS ADJUNCTIS
DIE X. MENSIS JANUARII A. MDCCCXLIV HORA X.
PUBLICE DEFENDET

JOANNES CAROLUS GLASER
NEUNKIRCHENSIS.

OPPONENTIBUS:
C. SCHWARZ, S. S. THEOL. LIC.
G. WEISSENBORN, PHIL. DOCT. ET PRIV. DOC.
G. M. MEYER, PHIL. CAND.

HALIS
FORMIS GEBAUERIIS

MDCCCXLIV.

VIRO ILLUSTRISSIMO

MIHI AMICISSIMO

HENRICO BŒCKINGIO

IN REBUS METALLICIS CONSILIARIO REGIO

GRATO ANIMO

D. D. D.

Philosophiae, quae inter nos effloruit, quamvis omnes Kantium auctorem et quasi patrem esse consentiant, vix tamen ac ne vix quidem invenies aliquem, qui placita ejus approbet atque in iis putet esse acquiescendum. Immo quod maxime ei videbatur probatum, cognosci a nobis non posse rerum veram naturam, sed phaenomena tantum omnemque rationis humanae vim in vita honesta positam esse perficienda, vel ii rejiciunt, quibus maxime mentis nostrae tenuitas infirmitasque probatur.

Nata vero est haec Kantiana sententia ex problematis solutione, quod statim in limine invenimus libri, quem de rationis indole facultateque conscripsit. Putat nimirum hic philosophus, quaestione quam proposuit, num judicia synthetica a priori possimus formare et si quae ita a nobis formentur, quibus nitantur principiis, non modo philosophiae totius contineri fundamenta, sed ceterarum quoque scientiarum omnium, quae demonstratione utuntur certa evidenteque [1]). Hanc igitur quaestionem solvere studens ad eas adductus est sententias affirmandas quas modo laudavimus.

Verum enim vero, quamvis qui post Kantium philosophiae operam navarunt, minime ejus probarent sententias, causasque afferent haud dispernendas, cur iis non possent assentiri, nemo tamen ex iis in principium ejus

---

1) Kantii opp. edit. Hartenstein. Vol. II. p. 46 et 5.

istud diligentius mihi videtur inquisisse sed id tantum omnes egisse, ut cur Kantii argumenta non possent accipere conarentur evincere. At cum in philosophia non sufficiat demonstrare, sententiam aliquam non posse probari, sed causas quoque oporteat inquirere cur sit falsa, operae me pretium facturum esse putavi, si problema Kantianum ad trutinam curatioris indaginis exigerem. Hoc enim facto non modo Kantii doctrina opinatus sum melius intelligi sed lucem quoque afferri philosophiae, quae post eum effloruit quamque frugem esse constat seminis ab eo sati.

Quod vero negotium ut recte a me ordinateque absolvatur, primum quid sit judicium syntheticum a priori formatum putavi explicandum esse, deinde vero quomodo a Kantio problema, quod sibi ob eorum naturam proposuit, sit solutum. His expositis, quid in ejus solutione putem recte factum quid minus, conabor ostendere.

PARS PRIMA.

Quid sit judicium syntheticum a priori formatum.

In judiciis syntheticis a priori formatis duplex momentum videtur mihi discernendum esse. Utrumque explicabo. Cognitiones enim nostras a sensuum impressionibus experientiaque incipi, nullum est dubium, quoniam a natura facultate tantum cognoscendi praediti sumus. Nasci vero inde oririque cognitiones omnes non aeque certum est. Si quae igitur sunt cognitiones, quae ex sensibus originem non ducunt, eae a priori sunt acquisitae. Nec tamen perinde omnes. Quae enim ita sunt comparatae, ut a sensibus quidem non nascantur, ex sensuum tamen visis deductae sint, eae in numerum cognitionum a priori acquisitarum non admittuntur, sed empiricae hae quoque appellantur. Dicuntur igitur eae cognitiones a priori acquisitae, quae neque a sensibus ortae neque e sensuum visis deductae sunt.

At quamvis quiquid ex mentis sola natura originem trahit, id a priori sit acquisitum nec tamen ob hanc ejus originem jam in cognitionum numero potest haberi. Etenim cognoscendi facultas nostra omnis in judicando est posita, ut inde patet, quod tum demum aliquid putamus nos cognovisse, cum aliquid de aliqua re aut affirmandum esse intelleximus, aut de ea negandum. Est igitur verum et falsum cognitioque omnis in judiciis posita, notiones vero per se solas spectatae nihil nisi merae ideae sunt quae recti verique nullam in se habent notam [1]).

---

1) Cf. Aristot. de interpret. I. Met. Θ, 10.; de anima III, 6.

Verum tamen, quum id quod affirmatur negari quoque possit et vice versa, quamvis omne judicium necesse sit aut verum esse aut falsum, in ipsa tamen judiciorum forma veri falsique index invenitur nullus. At quoniam quid sit verum quidque falsum studemus cognoscere, enixissime adspirandum est, ut quo discernatur, quae judicia vera sint, quae falsa, criterium inveniatur.

Judicium igitur omne quum exprimatur enuntiatione, qua praedicatum aliquod cum subjecto aliquo aut conjungendum esse censemus, aut ab eo disjungendum, primum summumque criterium judiciorum ipius subjecti continet natura. Quae enim praedicata subjecti natura non fert ea cum hoc subjecto conjungi non possunt. Apellatur haec ratio communiter quidem principium contradictionis, Kantio vero hujusmodi judicia audiunt analytica, quippe quorum praedicatum in ipso subjecto sit contentum et analysi ex eo possit deduci [1]).

Judicia analytica igitur ea sunt, quibus quî cum sujecto cohaereat praedicatum, explicatur.

Verum enim vero principium hoc ad verum cognoscendum nullo modo sufficit. Quae enim problemata ita sunt comparata, ut non quaerant quidem, quomodo cum subjecto cohaereat praedicatum, sed subjectum ipum una cum praedicatis suis omnibus, utrum sit necne disceptent, ea omnio ex principio contradictionis non possunt solvi, sed altiorem petunt rationem. Facile enim est intellectu aliquid ita comparatum posse cogitari ut nullam quidem includat contradictionem, inde tamen ejus existentiam nullo modo sequi, cujus generis rationes omnes sunt quas dicunt hypotheticas. Ut igitur esse hujusmodi rem supponamus, necesse est afferatur ratio altior. Hujusmodi igitur judicia, quibus scilicet subjecti existentia affirmatur aut negatur, Kantius appellat synthetica. Sunt autem ea ita comparata, ut praeter eam, quae in terminis judicii continetur, aliam adhuc petant rationem.

1) Vide quae monuit in prolegomenis ad Metaphys. etc. Opp. Vol. III, 178.

Est itaque judicia analytica inter et synthetica haec differentia, ut judiciis quidem analyticis explicetur, utrum cogitationes nostrae secum possint constare, judiciis vero syntheticis, utrum rerum natura tales exhibeat res, quales cogitatione nostra formavimus. Quod igitur plane novum putabat discrimen Kantius, id nullum est aliud quam quod vulgo inter rationem formalem et realem constituunt.

Recte vero a me, quid intersit inter judicia analytica et synthetica, explicitum esse historia quoque confirmat philosophiae. Kantium enim constat ad totam, quam molitus est philosophiae instaurationem suscipiendam Humii incitatum esse argumentis, quibus et omnem veritatem, quam attribuimus cogitationibus nostris, in sola opinione, consuetudine, instinctuque quodam naturali positam esse conatus est ostendere, maxime vero causalitatis legem studuit evertere. Quaerebat enim ut ipse Kantius hac de re judicat, quomodo ratio humana certis argumentis possit evincere, id quod confirmat, aliquid ita esse comparatum, ut eo posito aliud quid ex necessitate oporteat sequi? Puris putis notionibus cum non possit probari, huic legi conclusit vim necessitatis deesse, omnemque ejus facultatem in consuetudine instinctuque quodam naturali positam. Hac igitur ex argumenti conclusione Kantius se professus est ad proplema suum sibi proponendum esse adductum, quippe qui viderit, causalitatis legem non solam hujusmodi synthesin esse, sed totam Metaphysicam talibus judiciis contineri [1]). Qua de causa, inquit, cujus quaestionis a Humio exemplum tantum fuerit propositum, ejus se totum genus amplexum esse. Quod ita-

1) Opp. Vol. III. p. 171. cf. ibid. p. 185.

que conebamur ostendere, ex iis quae dicta sunt, satis censemus perspicuum esse.

Utroque momento, quod in judiciis syntheticis a priori formatis putabamus discernendum esse, exposito, jam ambo in unum conjungamus. Quaestionis itaque omnis vis in eo est posita, ut exponatur, quomodo judicia synthetica a nobis formari possint, quoniam ad judicia analytica recte formanda in ipsis judicii terminis criterium continetur sufficiens. Judicia vero empirica quamvis omnia necesse sit esse synthetica, quippe cum ad judicia analytica formanda nullius indigeamus experientiae, verum tamen, cum rationem quae ad hujusmodi judicium adducimur approbandum, rerum nos doceat usus, ipsaque praebeat experientia, hoc quoque judiciorum genus nullam parit difficultatem. Difficultas igitur omnis veri investigandi in quaestione est posita, qui judicia synthetica possimus a priori formare, quippe cum ex ejus solutione consensus dependeat cogitationum nostrarum cum rerum natura. Continet itaque problema Kantianum qui scilicet judicia synthetica a priori formare possimus, scientiarum omnium fundamentum, quia eum putamus scire aliquid, qui rei alicujus perscrutatus est naturam ejusque cognovit virtutem peculiarem.

Non immerito itaque Kantius librum, quem conscripsit ad hoc problema solvendum, methodum voluit esse veri investigandi.

Adnotatio. Vir clarissimus Trendelenburg in quaestionibus suis logicis judiciorum analyticorum syntheticorumque discrimen conatus est perstringere nullumque id esse ostendere. Putat scilicet vir doctissimus quodvis judicium et syntheticum esse et analyticum. Verum ex iis, quae a nobis exposita sunt, satis censeo patere, vehementer eum errare. Judicia enim analytica ea sunt, quae quemadmodum cohaereat cum subjecto praedicatum dicunt, judicia vero synthetica, quae utrum subjectum una cum praedicatis suis omnibus sit necne explicant; ex quo perspicuum est, judium syntheticum nunquam analyticum esse posse et vice versa. — Ceteroquin Cartesius jam discrimen propositum satis perspexit. „Quamvis enim", inquit, „falsitas proprie dicta sive formalis non nisi in judiciis potest reperiri, est tamen profecto quaedam alia falsitas materialis in ideis, cum non-rem tamquam rem repraesentant: ita exempli causa, ideae quas habeo caloris et frigoris tam parum clarae et distinctae sunt, ut ab iis discere non possim, an frigus sit tantum privatio caloris vel calor privatio frigoris, vel utrumque sit realis qualitas vel neutrum, et quia nullae ideae nisi tamquam rerum esse possunt, si quidem verum sit, frigus nihil aliud esse quam privationem caloris, idea quae mihi illud tamquam reale quid et positivum representat, non immerito falsa dicetur et sic de caeteris." Errat quidem Cartesius eo quod putat, ideas per se posse rem representare, aut non-rem (scilicet ut existentem) cum judicemus tantum, respondere iis aliquid in rerum natura quod per eas representetur. Ex iis tamen, quae dicit, discrimen satis perspicuum est. —

PARS ALTERA.

Quomodo a Kantio problema, quod sibi proposuit, sit solutum.

Postquam itaque exposuimus, quid sit judicium syntheticum a priori formatum, quodque Kantius sibi propter ejus naturam proposuerit problema solvendum, jam ratio instituti fert, ut quomodo ab eo sit solutum explicemus. Priusquam vero ad id adgrediamur haud abs re esse duco ostendere, contingere nobis quasdam rerum cognitiones a priori acquisitas. Quod ut recte fiat, in-

quirere oportet, quales sint eae quibusque cognoscantur signis. Et Kantius quidem duas earum affert notas. Cum enim experientia doceat nos quidem, quid sit factum, ex necessitate vero esse factum non item, eodemque modo praebeat quidem nobis alicujus rei exemplar nec tamen amplectatur genus ejus integrum, inde sequi putat, si quae nobis essent cognitiones, quae et necessitatem arguunt, et rei alicujus amplectuntur genus totum, eas cognitiones esse a priori [1]) comparatas. Verum enim vero vitio laborat haec definitio gravissimo. Supponit enim cognitiones nostras omnes aut esse empericas aut a priori acquisitas quod neque probavit Kantius neque probari potest ut in parte tertia fusius explicabimus. Attamen ipsa cognitionis definitio postulat, ut et necessarium sit id quod cognovimus, et quamvis opporteat ejusdem generis rem amplecti. Patet igitur si quae omnino nobis sint cognitiones, oportere eas a priori esse acquisitas, siquidem id est a priori acquisitum, quod ex solius mentis natura originem ducit. Etenim omnia possumus rejicere, de omnibus dubitare, omnia pro falsis habere, praeter ipsam cogitationem, in qua sita est mentis nostrae essentia. Judicia igitur omnia, quae et generalia sunt et necessaria ex mentis manant natura, itaque a priori sunt acquisita. Hujusmodi vero esse et demonstrationis mathematicas et alias cognitiones nonnullas nemo negabit. Pone tamen negare aliquem, posse nobis hujusmodi cognitiones contingere. Cum itaque necesse sit contendere eum, et nemini et nullius rei posse talem cognitionem contingere, perspicuum est, id quod negare studet ab eo supponi, quippe cum contendat, a priori se cognovisse, nullas esse cognitiones a priori acquisitas, quod absurdum est.

Necesse igitur est esse nobis quasdum hujusmodi cognitiones atque videndum quomodo Kantius explicet eas a nobis attingi. Initium vero ducit argumentationis ex eo, quod cognitiones nostras omnes putat ex duobus constare elementis, materia scilicet et forma, quarum alteram praebeant animi perceptiones, altera sit facultatis cogitandi Hinc conclusit ex duobus fontibus cognitiones nostras omnes manare, ex ea scilicet animi facultate, qua res percipimus atque intuimus et ex altera quadam, qua perceptiones inter se conjunguntur. Percipiendi intuendique facultas appellata est ab eo sensualitas, cogitandi vero vis intellectus.[1])

1) Kantii Opp. Vol. II. p. 37.

Cum itaque constent cognitiones nostrae ex animi perceptionibus et forma cogitandi, qua inter se perceptiones conjunctae sunt, eas omnes necesse est rerum niti intuitu, quoniam intuitu non interposito, nullas habere possumus perceptiones.[2])

At intuitum nostrum omnem cum necesse sit esse sensualem, perspicuum est, si empiricus quoque esset, nullas omnino nobis contingere posse cognitiones a priori comparatas, nullaque a nobis formari hujusmodi judicia. Si nobis sunt igitur cognitiones quaedam a priori comparatae, id quod negari non posse supra ostendimus, necesse est inesse animo nostro facultatem quamdum rerum intuendarum absolutam. Ex quibus jam perspicuum est, problema, qui judicia synthetica possimus a priori formare, ad quaestionem reduci, quae sit animi nostri facultas intuendi percipiendique absoluta. Esse enim hujusmodi aliquam inde patet, quod cognoscere possumus res a priori, cognitiones vero absque intuitu nobis non contingruntur.

Quoniam igitur, quae sit animi nostri facultas rerum intuendarum absoluta, nobis explicandum est, elaboremus ut eam faciamus quam dilucidissimam. Est vero percipiendi intuendique facultas ita comparata, ut ad vim suam exercendam rem, in quam agat, postulet praesentem. Quae fit ea in animo nostro commutatio a Kantio appellatur impressio, res ipsa quae apparet, visum. Opportet igitur viso unicuique primum subjectum sit aliquid, quod diceres

1) Kantii opp. Vol. II. p. 56 et 88.

2) Ibid. p. 59.

materiam, sensibile scilicet; sive id, quod impressionem efficit, praeterea vero aliud quid, quod forma potest vocari, quaeque efficitur quatenus varia, quae visum constituunt momenta naturali quadam lege inter se coordinata sunt. Cum igitur impressio quidem, quae visi constituit materiam, rem arguat praesentem, forma vero non item, quippe quae impressionis esset impressio, materiam nobis necesse est cujusque visi a posteriori dari, formam autem, qua visi momenta inter se ordinata sunt animo nostro esse innatam.[1])

Adesse igitur oportet priusquam impressio in animo nostro possit fieri, eique necesse est consentaneum esse, quidquid nobis apparet. Formae hujus duplex momentum esse Kantius ostendere conatus est, spatium et tempus, quorum illud forma est visorum externorum, hoc vero animae nostrae comprehendit modificationes.

Perspicuum quidem est ex iis, quae jam exposita sunt, quomodo perceptionibus nostris possit veritas attribui. Cum enim percipiendi intuendique forma absoluta animo nostro sit innata, sequitur, perceptiones nostras omnes huic formae esse consentaneas opportere, nullam itaque rem nobis posse apparere nisi secundum hujus formae leges. Quoniam itaque, nostra percipiendi forma lex quoque est, secundam quam res nobis apparent, sequitur, propterea quod huic legi sunt consentaneae, perceptiones nostras rebus respondere.

Quamvis vero jam maxima difficultas sit superata, postquam invenimus quae animi nostri facultas sit intuendi absoluta, nec tamen aestimandum est, totum negotium esse absolutum. Quaerimus enim, qui cognitiones nobis possint a priori contingere. Vidimus autem cognitiones nostras ex duobos constare elementis, perceptionesque earum tantum esse materiam. Explicandum igitur adhuc est quomodo materia haec sit cogitatione formanda ut cognitio evadat.

Cogitandi vero facultatem in eo esse positam, quod

2) Kantii opp. Vol. II. pag. 60.

perceptionum multitudinem uno comprehendimus animo, perspicuum est. Is enim cogitat, qui unus idemque varias, quas percipit res, comprehendit conscientia. Cogitamus itaque perceptiones multas variasque conscientiae vinculo complectentes. Perficitur vero cogitandi munus judicando, quoniam itaque qui cogitat judicium format, qui vero judicat se cognovisse aliquid putat, patet cognitiones nostras omnes cogitandi judicandique legibus oportere consentaneas esse. Quot igitur sunt judicandi formae diversae, tot quoque necesse est esse vincula uniendi. Vinculum hujusmodi synthesis sive categoria vocatur. —

Quamvis vero cogitando rem nullam comprehendere possimus, nisi categoriis varias perceptiones conjungamus, indeque pateat, esse quidem categorias cogitandi leges quas dicunt subjectivas, i. e. quibus posthabitis omnino non possumus cogitare inde tamen non sequitur, earum vim eo usque patere ut omnes nostras perceptiones eis oporteat subjici. Perspicuum itaque est quidem, si quae a nobis cogitando conjungantur perceptiones, id fiat necesse esse judicando, categoriisque adhibendis, conjungi vero oportere a nobis cogitando omnes quas habemus perceptiones non aeque certum esse. Ipsis saltem perceptionibus hujusmodi conjunctionis nulla inest necessitas. Quamvis igitur perceptiones nostrae intuendi formis legibusque omnes debeant consentaneae esse, quia aliter nihil potest in seusus nostros cadere, licet tamen supponere, fieri ut, quae apparent, non cogitentur.[1])

Hinc jam intelligitur, si quid veri inest cogitationibus nostris, id posse ita tantum fieri, ut quas habemus leges cogitandi subjectivas, iis omnes nostras opporteat perceptiones esse consentaneas. Perspicuum vero cum sit ex iis quae supra exposuimus, nullas nobis apparere res, nisi secundum intuendi leges, itaque phaenomena omnia oportere congruentia esse percipiendi formis, quoniam praeter ea. quae apprehendimus percipiendo, in quovis viso aliquid etiam inest, quo varia, quae continet visum,

1) Kantii opp. Vol. II. pag. 122.

momenta in unum conjunguntur, necesse est, si quae categoriis insit veritas, eam in eo esse positam, ut iis efficiatur ut quae nobis apperent, in unum conjungantur. Vocemus hanc unionem *objectum.*[1])

Cum igitur perceptiones nostrae omnes ad objectum quoddam necesse sit pertinere, si possumus ostendere, ut aliquid nobis tanquam objectum appareat, non posse fieri nisi categoriis, perspicuum est, vim earum non solum esse subjectivam, sed effici ea ut nobis possint esse perceptiones, quippe quae ad objectum pertineant. Simul patet, hoc modo solvi problema, qui judicia possint a nobis formari synthetica. Categoriis enim judicamus et quoniam cogitamus judicando, apparet qua ratione cogitationibus nostris res congruere ostendatur, eadem explicari, qui formemus judicia synthetica. Videamus itaque utrum categoriis tantum alquid nobis esse efficiatur objectum.

Omnes omnino, quas habemus perceptiones, possumus abjicere et quasi extinguere, de omnibus utrum sint nec ne dubitare, vim vero cogitandi abjicere, nos non cogitare, ponere non possumus. Quomodo enim aliquis se non cogitare ponat nisi cogitando? Cogitando vero velle evincere aliquem, se non cogitare, absurdum est. Quoniam itaque cogitando possumus omnia rejicere praeter cogitationem ipsam sequitur, sola quoque cogitandi vi perceptiones quasdam animo nostro posse inesse, quippe cum omnis animi facultas in ea sit posita. Hanc igitur quam esse omnes perceptiones nostrae exposcunt et cujus solius virtute perceptiones in animo nosto conditae esse possunt, Kantius appercipiendi facultatem vocat originariam sive conscientiae identitatem transscendentalem. Efficitur ea ut perceptiones omnes quas habemus uno animo amplectamur sive quod idem est, ut eas nostras esse dicamus.[2])

Cum itaque perceptiones omnes, quatenus conscientiae vinculo conjunguntur, appercipiendi facultatem originariam arguant, objectum vero sit, quod vinculo quodam communi

---

1) Kantii opera Vol II. pag. 129. sq.

1) Ibid. pag. 122.

perceptionum varia momenta inter se conjungit, patet, quoniam synthesis conjunctioque omnis synthesin illam primariam supponit, quam in quovis objecta invenimus conjunctionem, effectam esse appercipiendi facultate originaria. Haec igitur fons est cognitionum nostrarum omnium, eaque fit, ut perceptiones nostrae in objecto quodam conjunctae sint et evadant cognitiones. Neque solum leges ea praescribit, ex quibus a nobis objectum aliquod potest cognosci sed quibus ipsa perceptio continetur ut nobis sit objectum, quoniam, hac synthesi non interposita, perceptionum nostrarum nullam haberemus cunscientiam.[1])

Quoniam itaque perceptiones nostras omnes ad synthesin conscientiae originariam revocare oportet, quia ea sola nobis aliquid tamquam objectum potest apparere; patet, cum vis nostra cogitandi in judicando posita sit, legibus cogitandi subjectivis per synthesin conscientiae originariam vim impertiri objectivam, id est, non solum si quas cogitando comprehendimus perceptiones fieri ex legibus cogitandi, sed perceptiones omnes, his legibus oportere consentaneas esse. Categoriis ergo omnes perceptiones nostrae debent esse consentaneae iisque ob id vis adjudicanda est objectiva.[2])

Quamvis vero ex iis, quae hucusque a nobis explicita sunt, satis sit perspicuum, quem ad modum cogitationibus nostris veritatem possimus attribuere sive, quod idem est, qui a nobis judicia formari possint synthetica, nondum tamen patet, qui a priori hujusmodi judicia a nobis possint formari. Facile enim est intellectu, si nullae nobis essent perceptiones nisi ex rerum usu experientiaque comparatae, nullas a nobis judicia synthetica a priori posse formari. Quoniam vero percipiendi legibus absolu-

---

1) Ibid. pag. 181 sq. Die synthetische Einheit des Bewusstseins ist eine objective Bedingung aller Erkenntniss, nicht deren ich blos selbst bedarf, um ein Object zu erkennen, sondern unter der jede Anschauung stehen muss, um für mich Object zu werden, weil auf andere Art und ohne diese Synthesis das Mannigfaltige sich nicht in einem Bewusstsein vereinigen würde.

2) Ibid. pag. 136.

tis perceptiones omnes debent esse conformes, intuendi percipiendique vero formae a priori nobis sunt datae, cum omnia omnino, quae nobis apparent, ut a nobis percipiantur, synthesin conscientiae originariam supponant, sequiter, propter intuendi formam absolutam cogitandi quoque leges esse absolutas et ita judicia synthetica a nobis formari posse, quibus a priori possumus certi esse res congruere.

Hoc cum esset, quod quaerebamus, resumamus jam paucis verbis totius argumenti rationem.

Omnis igitur cognoscendi facultas nostra cum sit in judicando posita, sequitur, si quae nobis omnino est cognitio, eam oportere consentaneam esse judicandi legibus. Verum cum judicium efficiatur eo quod varias perceptiones communi vinculo conjunguntur, perspicuum est, quamvis nulla nobis contingat cognitio nisi judicandi sit legibus conformis, inde nondum posse intelligi, quomodo cum subjectivis cognoscendi legibus perceptiones nostrae omnes debeant congruere. At cum quascunque habemus perceptiones ad conscientiae synthesin originariam pertinere necesse sit, atque haec synthesis absoluta cum efficiat quoque quam in quovis judicio invenimus conjunctionem, patet propter synthesin conscientiae originariam categoriis quoque, quibus opus est ad munus judicandi perfungendum, omnes nostras perceptiones oportere consentaneas esse. Hoc modo cum explicitum sit, qui judicia possimus formare synthetica, dicendum est quomodo a priori hujusmodi judicia formemus. Intelligitur vero hoc inde, quod animo nostro percipiendi facultas inest absoluta, cui omnes perceptiones empericae debent consentaneae esse, ipsa vero haec intuendi facultas absoluta subjecta est synthesi conscientiae originariae et propter eam etiam categoriis. Catgoriius ergo cognoscendique legibus subjectivis materia omnis, quam percipiendi facultas praebet est subjecta.

Hac ex argumenti conclusione duas potissimum Kantius ducit consequentias. Quoniam enim percipimus intuendo res quemadmodum apparent, nullo vero modo, sicuti sunt, quippe cum perceptiones nostrae empiricae intuendi legibus absolutis debeant esse consentaneae, hae vero leges formam tantum constituant qua varia perceptiones momenta inter se ordinata sunt, cum porro categoriis perceptiones nostrae tantum inter se conjungantur, sequitur, quoniam nulla nobis est cognoscendi facultas praeter eam quam habemus categoriis, omnes omnino cognitiones nostras phaenomena tantum amplecti, res vero per se sicuti sunt a nobis non posse cognosci. Etenim cum cognitio nostra ex duobus censtet elementis, ad cognoscendas res, sicuti sunt, opus esset nobis facultate quadam qua possemus *percipere* res, sicuti sunt. At cum intuendo percipere possumus tantum, quemadmodum apparent, sequitur cognosci quoque posse eas a nobis sicuti apparent. At cum phaenomena esse non possent, nisi essent res, ad quas pertinent, quamvis res ipsas cognoscere non possumus, esse tamen eas necesse est supponamus. Hanc ob consequentiam qua contendit cognosci quidem a nobis phaenomena tantum, esse tamen praeter nos, qui cogitamus, res quoque, ad quas phaenomena pertinent, Kantius idealismum transcendentalem sive criticum apellat.

Consepuentia altera ex eodem manat fonte. Quoniam enim cognitio nostra ex duobus constat elementis, perceptionibus scilicet et forma cogitandi, perspicuum est, eatenus tantum veritatem cogitationibus nostris inesse, quatenus res percipimus intuendo. Cogitatio enim cum praebeat tantum cognitionum formam, si per se solam eam spectes, ad cognoscendum nihil valet. Indiget scilicet materiae. Quoniam vero intuendi nostra facultas sensitiva est, nulla quoquo nobis contingere potest cognitio quae hanc facultatem excedit. Si quae igitur sunt notiones purae quamvis eas esse negari a nobis non possit, cognosci a nobis tamen prorsus negandum. Hoc argumento Kantius ideas metaphysicas evertere conatus est. —

PARS TERTIA.

Utrum recte Kantius solverit problema sibi propo situm necne.

Postquam igitur exposuimus quamnam Kantius sibi proposuerit quaestionem solvendam et quemadmodum solverit eam, ad ultimam propositi nostri progressi sumus partem, in qua inquirendum nobis est, utrum recte Kantius problema sibi propositum solverit nec ne.

Quod vero ut facilius intelligamus haud abs re puto esse, ante omnia de ipso problemate quaerere utrum recte ab eo sit positum. Nititur autem, ut vidimus, duplici cognitionum distinctione, qua quas a priori acquirimus cognitiones empiricis et judicia synthetica annalyticis opponit.

Quodsi velimus dijudicare, utrum, quae ei ex hoc notionum discrimine orta est quaestio possit probari nec ne, primum considerandum erit, utrum notiones ipsas recte distinxerit, deinde vero utrum conjunctio notionum, nullam includat contradictionem. Quoniam vero quod Kantius inter judicia analytica et synthetica posuit discrimen summopere probandum esse declaravimus, — licet terminis maxime consentaneis eum non esse usum, — super est tantum, ut in discrimen, quod inter cognitiones a priori acquisitas et cognitiones empiricas vult intercedere, diligentius inquiramus. Definit autem Kantius discrimen hoc ita, ut dicat cognitiones empiricas eas esse, quae aut a sensibus ortae aut ex sensuum visis deductae sunt, cognitiones vero a priori comparatas eas quae sola mente nituntur. Accipiamusne jam hanc definitionem an putemus rejiciendam esse? Multa sunt, quae quominus comprobemus impediunt. Ex sensibus enim cognitiones nobis oriri, quis est qui accipiat? Omnis enim cognoscendi vis nostra cum in judicando sit posita, judicia vero mente formentur, necesse est, cognitiones omnes, quatenus cognitiones sunt ex sola mente oriri. Atque Kantius ipse probat hanc rationem, quippe qui dicat, in sensibus nullam veritatem positam esse, quia non judicant [1]) et alio loco ad cognoscendum tam sensualitate opus esse, quam intellectu [2]) ita ut quae ex solis sensibus sit nata cognitio esse possit nulla. Ipso igitur Kantio auctore quod inter cognitiones a priori acquisitas et empiricas posuit discrimen, plane rejiciendum est. Sunt sane res quaedam, quae sensibus percipimus, sunt aliae, quae in sensus non cadunt, sed quid hoc rerum discrimen ad cognitiones discernendas? An forte putemus rerum diversitate effici cognitionum differentiam? Efficitur certe, nec tamen quoad cognitiones sunt, sed prout rerum cognitiones sunt diversarum.

Attamen quamvis discrimen hoc quemadmodum a Kantio propositum est maxime sit improbandum, ideo non omni indiget ratione. Cognitiones enim empiricae sive rerum, quae in sensus cadunt, ita sunt comparatae omnes, ut principia ex quibus aptae sunt, sensuum ope non inveniantur, sed in ditione sunt rationis, quippe cum principium quodvis rerum quarumdam genus amplectatur integrum, sensus autem ad res spectent singulares. Intercedit itaque inter cognitiones rationales et empiricas hoc discrimen, ut ad ea quae ratione percipiuntur principia quoque pertineant cognoscendi, quamvis haec differentia, quae scilicet inter principia cognoscendi et cognitiones intercedit ex iis aptas, nullo modo cum discrimine illo cognitionum empiricarum et rationalium quadret, quoniam multae quoque sunt cognitiones rationales, quae in principiorum cognoscendi numero non possunt haberi.

Sequitur ex his, tametsi discrimen a Kantio propositum non recte ab eo sit explicatum, certis quibusdam condicionibus id posse admitti, immo, quia inter cognitio-

---

1) Opp. Vol. II. p. 277.
In den Sinnen ist gar kein Urtheil, weder ein wahres, noch falsches.

2) ibid p. 88 sqq. et passim.

nes empiricas et rationales quatenus sunt cognitiones nulla intercedit differentia, sed tandum quatenus cognitiones sunt rerum diversarum, necesse est, ita discrimen illund esse accipiendum, quemadmodum a nobis expositum est, nisi forte putas absurda a Kantio ese proposita. Cognitiones a priori comparatae igitur eae sunt, quae per se sunt notae i. e. quarum causa quidem cognoscendi potest reddi, nec tamen essendi, cognitiones vero a posteriori comparatae, eae quae ex aliis aptae sunt.

Accepto igitur discrimine cognitionum a priori comparatarum earumque quae a posteriori acquirimus eo sensu, quo a nobis est explicitum, videamus utrum in terminorum conjunctione nullam contineatur contradictio. Perspicuum vero est, judicia synthetica omnia in cognitionum a posteriori acquisitarum numero esse habenda, quia ita sunt comparata, ut causa possit reddi cur subjectum existat. Verum enim vero cum cognitiones a priori acquisitae nobis eae sint, quarum cur sint causa nulla potest esse, immo ex quibus ceterae cognitiones omnes sunt aptae, perspicuum est, posse quidem quaeri quemadmodum judicia synthetica a nobis possint formari, id est, quae sint causae, quibus adducti cognitionibus nostris veritatem tribuamus, si quis vero studeat cognoscere, qui judicia synthetica a nobis possint formari a priori, eum nihil minus agere, quam ut cognoscat: qui principiorum possint principia inveniri.

Quem in ipsa quaestione proponenda invenimus errorem, is totum Kantii argumentum penetravit.

Etenim quam propositionem quasi totius doctrinae posuit fundamentum, esse scilicet cognitionum nostrarum duplicem stirpem, facultatem sentiendi et intellectum, ad eam affirmandam adductus est eo quod res mente perceptas rerum cognitionumque principiis habuit easdem. Quoniam scilicet cognitio quaevis est alicujus rei cognitio eaque perficitur causa ejus perspicienda, rerum vero causas intelligere non possumus, nisi sint antea res datae, quarum sunt causae, Kantius, qui posuit, ea quae mente

percipiuntur esse causas principiaque rerum, necessitate quadam coactus est, ut contenderit, quae res cognoscendae sint, eas omnes nobis a sensibus praeberi. Etenim praeter res quae cognoscantur et principia, ex quibus *aptae* sunt, nihil est, quod in cognitionem cadat, Kantius itaque, qui principia rerum eadem habuit cum rebus mente perceptis non potuit, quin poneret, quae in cognitionem cadant res omnes a sensibus nobis venire. Conclusit hinc sensus nobis materiam praebere, quae sit formanda et in ordinem redigenda ut evadet scientia, cogitationem autem in cognoscendo perfungi eo munere ut materiam a sensibus productam formet redigatque in ordinem.

In errore vero Kantium versari hac de re, facile est intellectu. Etenim quamvis rerum principia sola mente possint percipi, nec tamen omnia, quae mente percipiuntur, propterea principia sunt habenda, immo, cum cognitio omnis et necessitatem arguat et genus amplectatur rerum integrum, quodcumque cognoscitur, id mente percipitur ideoque nullo modo res, quae cognoscuntur, ex sensibus proveniunt, sed quatenus cognoscuntur, eatanus mente et intelligentia percipiuntur. Sentiendi igitur facultas ad cognoscendum vim habet nullam.

Eadem necessitate qua coactus materiam omnem, quae cognoscatur in sentiendi facultate positam esse contendit, inductus quoque est ut intelligendi facultatem quasi ad sensus ligaret negaretque posse nobis cognitiones contingere, quae eas excedant. Etenim cum principia praeter res, quarum sunt principia, esse non possint, Kantius, qui res cognoscendas omnes nobis a sensibus venire arbitratus est, consequenter negavit, notionibus mentis originariis per se spectatis veritatem posse attribui. Atque ob eandem causam necesse erat, ut contenderet ideae, quae res supponuntur esse intelligibiles mentis notionibus congruentes utrum sint necne a nobis non posse intelligi, quippe quibus res praeter sentiendi facultatem dari possent nullae Sed in hac quoque suppositione errat. Cognitio enim omnis sensus excedit, quia et necessaria est et universalis, id

quod in sensuum perceptionibus non invenitur. Si quae igitur nobis sunt cognitiones, eae propter cognitionis naturam in cogitatione debent esse positae. Est sane difficultas magna, qui fieri possit ut, facultate tantum cognocscendi praditi, ad ipsas cognitiones possimus pervenire. Haec tamen quaestio huc non pertinet. Satis est ostendisse, ad sensus facultatem nostram cognoscendi non esse ligatam. —

Satis quidem perspicuum est ex iis, quae huc usque explicuimus et falsam esse doctrinam Kantianam et cur sit falsa, attamen ut clarius intelligantur quae diximus, ex propriis Kantii verbis sententiis que studebimus ea evincere. Posita vero est, ut vidimus, omnis Kantianae argument conclusionis vis in eo, quod putat cognitiones nostras provenire a rerum intuitu immediato efficique scientiam ex perceptionibus, quas sensus nobis perhibent. Verum enim vero ipse profitetur, intuitu non posse a nobis res ipercipi, sicuti sunt, sed tantum, sicuti apparent, quinimo intuitum purum destrui, si nobis oporteret res sicuti sunt percipere [1]). At cognitionis ipsius definitio postulat ut res, sicuti sunt, percipiamus. Eum enim putamus cognovisse aliquid, qui quid sit intellexit. E. g. trianguli cognitionem non ei putamus contingere, qui vidit triangulum ex aere factum vel in tabula depictum, sed qui ejus indagavit naturam atque perspexit, triangulum eam esse figuram, cujus anguli tres duobus rectis sunt aequales. Js igitur trianguli habet cognitionem, qui quid sit intellexit. Idem de quavis re alia dicendum est. Quis est vero, qui quae sint res ex apparendi modo se putet posse evincere? Esset hoc ex phaenomenis rerum essentiam componere, quod abeurdum est. Quam itaqne in proplemate proponendo invenimus errorem, idem hic nobis occurrit. Inductus autem in eum Kantius videtur eo, quod cogitando studemus phaenomenorum causas inquirere, ita ut scientia cognitioque omnis a phaenomenis quidem incipiat, ex iis tamen nasci possit nullo modo.

---

1) Kantii opp. Vol. III. p. 197.

Sequitur porro ex eo, quod scientia quid sit res anquirat, eam et universalem esse et necessariam, ita ut ex intuitu nasci non possit. Intuitus enim omnis sigulare quid est et id habet proprium ut et esse possit et non esse, quod scientiae cognitionique nullo modo convenit. Hoc autem argumentum eo majoris puto aestimandum esse, quod Kantius demonstrationes mathematicas certitudinem evidentiamque inde petere contendit, quod quae demonstranda sint possint intuitu repraesentari. Quod si verum esset, efficeretur demonstrationes mathematicas eatenus esse certas evidentesque, quatenus non sunt cognitiones. Quatenus enim cognitiones sunt, eatenus sunt generales atque necessariae, id quod in sensuum perceptionibus rerumque iutuitu non invenitur.

Idem error alio quoque modo sese manifestat. Dicit enim Kantius tempus et spatium percipiendi esse formas, et propterea, quod sint formae, homini contingere a priori. Ubi vero ei explicandum est, quomodo judicia synthetica possimus formare a priori, has formas reddit materiam ex qua formemus syntheses per se veras. Eisdem igitur rebus tum utitur tamquam forma, tum ut materia, nulla, quae hoc justificet, allata causa, quod in philosopho acriter vituperandum est.

Maxime vero Kantius eo mihi videtur pecavisse, quod supposuit cognitionem ex elementis constare. Ex hac enim suppositione vidimus defluxisse omnes, in quos incidit errores. Eam vero falsam esse facile est intellectu, quia non res, sed rerum causas cognoscendo comprehendimus. Etenim vere scire est per causas scire. —

Restat ut explicem, quid philosophia profecerit problemate a Kantio proposito solutoque pro viribus. Nec enim consentaneum est, virum tantum in omnibus errasse et prorsus verum praeteriisse. Dictum vero est a nobis, saepius, quod proposuit discrimen inter judicia analytica et synthetica, id maxima esse probandum quaestioneque, qui judicia synthetica a nobis formari possint, methodum includi investigandi veri. Etenim cum judicia synthetica

explicent, utrum cogitationibus nostris respondeant res nec ne, facile est intellectu, si quis perspexerit, qui judicia synthetica possimus formare i. e. qui fiat, ut cogitationibus nostris veritas sit tribuenda, eum invenisse viam, qua posset, quid in quaque re sit verum, investigare. Kantius quidem quominus hanc inveniret viam, prohibitus est eo, quod quid intersit inter ea, quae per se et a priori sunt nota et inter ea, quae ex aliis rebus lucem veritatemque ducuut, non recte explicavit. Attamen cum ante eum nemo tam presse ad hanc, quae totius philosophiae cognitionisque omnis prima est, accederit quaestionem, non potuit fieri quin tota philosophia, problemate solum proponendo, novum inciperet cursum. Neque tamen contentus erat Kantius, ut indicaret, quid sit faciendum ut methodus veri investigandi inveneretur, sed omnem quoque congessit materiam ad eam aperiendam, ita ut iis qui post eum philosophiae operam navarunt, nihil esset relictum, quam ut ea ad problema recte propositum uterentur solvendum. Merito itaque pater appellatur philosophiae quae inter nos effloruit.

VITA.

Joannes Carolus Glaser, Neunkirchensis. Natus sum hujus Saeculi ann. XIV, die IX mensis Aprilis, patre Georgio Friderico, agricola, matre Catharina e gente Wagneriana. Primis litterarum elementis partim domi a patre partim in schola publica instructus, annum agens decimum septimum deductus sum in Gymnasium Saraepontanum, quod tum a rev. *Zimmermanno* et cl. *Ottemanno* regebatur. Anno MDCCCXXXVI Berolinum me contuli ut in universitate Frid. Guilielma studia absolverem. Quatuor per annos theologiae et philosophiae operam navavi. In theologia mihi viri ill; *Neander Marheineke*, *Hengstenberg*, *Vatke*, in philosophia *Hennig*, *Gans*, *Gabler*, *Steffens*, in historia *Ranke* duces fuerunt.

THESES.

1. *Non esse corruptum locum Met. Arist. lib. XIV*, 3: οἱ δὲ πρῶτοι δύο τοὺς ἀριθμοὺς ποιήσαντες, τόν τε τῶν εἰδῶν καὶ τὸν μαθηματικόν, ἄλλον οὐδαμῶς οὔτ' εἰρήκασιν, οὔτ' ἔχοιεν ἂν εἰπεῖν, πῶς καὶ ἐκ τίνος ἔσται ὁ μαθηματικός.
2. *Cartesii: „cogito ergo sum" sophisma esse.*
3. *Deum esse demonstratione directa sive synthetica non potest evinci.*
4. *Kantii argumentis demonstrationem de Dei existentia ontologicam non refelli.*
5. *Falsum esse, quod Kantius contendit, omne judicium Metapyhsicum esse syntheticum.*
6. *Errare, qui putant, logicam et Metaphysicam unam eandemque esse scientiam.*
7. *Pectus est, quod facit theologum.*
8. *Rei publicae libertatem perfectam neque legibus confici liberalibus, neque civium libertatis conscientia.*
